



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiae & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

Comitin, César Jean-Baptiste

Coloniae, 1709

§.3. Potestas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)

lute, tu pro voluptate. Vide discrimen, & agnosce crimen. Vincit amor Deum, non te, summo major, infimo minor. Hæ vices!

§. 3. *Potestas.*

Ut formam Majestas, ita Majestatem POTESTAS utrimque commendat. Non enim pulchra tantum aut grandia placent, sed etiam utilia. Nam etsi verus amor opes in amico minimè requirat, æmulus honesti, nec tam Regi studeat, quàm Alexandro; tamen ubi conspirant, utroque, ut ita dicam, currit pede, simul ambiens, simul amplectens. Denique viscum amat hic ales, & *capitur dum capit; prædo fit præda.* (August.)

Nunc ab omnipotente quid non sperare audeas, si amicus es, à quo fides [ut notat S. Zeno] tantum habet, quantum credit cupitque? Hic est ex utraque parte limes; voluntas hinc tua, immensa licet; inde omnipotentia Dei, scutum, sinus, & carinæ statio tutissima. Fac te ab omnibus usque desertum, præterquam à Deo; muta thesim. Fac te omnium patrocínio viribusque defensum, præterquam Dei. Stent à partibus tuis dæmones, cæli inferique, & inter utrosque medii, si qui sunt; stent & tyranni. Quis invadet Deo protegente? quis eripie

pie

piet Deo invadente ? Nimirum utrobique vel certus es pœnæ, vel securus gratiæ. Ille, ille Reges, ille Sapientes, ille fortes, ille felices ad libitum creat ; arbiter utriusque sortis, fortunâ major & fato.

Vides itaque, non jam proponi Deum, sed te ; ut si rebellem non flectat merito suo, quantumvis infinito ; trahat cunctantem commodo tuo, etiam infinito ; aut certè vincat utroque, dum intelligis & sufficere sibi plenitudine majestatis, & redundare tibi magnitudine potestatis. Simul ut admirare conjunctam cum potentia tantâ tantam pietatem. Nam cum posset obterere vel solo nutu perduellem ; ille interim suspendit ictum, abstinet manum. Eheu ! quàm pauca dixi ? qui non abstinet modò suam, sed & peccantis sustinet, alit, atque, ut ita loquor, manu manu ducit, etiam colaphum impingentem : quasi luderet cum filio pater, aut filius cum patre certaret, ille pietate, hic immanitate. O patrem, quo nemo pater magis ! ô filium, quo nemo filius minùs ! ô utrumque suo in genere vincentem ; sed alterum malo, alterum bono ! nisi te vincat quoque, quia vinci se sinit ; & ita vincas atque vincaris bono tuo,